







1.
2.
3.
4.
5.
6.



1718

- 1^o Friesleben, Jo. Frieses.: *De genuina legum
civilium indole eorumdemque jure naturali*
2. Huppmann, Adam Christoph: *Dissertatio inaug. juris Pica
sistens quaestiones ex jure canonico, civili, publico
etque feudali selectas.*
3. Konhard, Johannes Fridesius: *De exceptionibus litto
firstae*
4. Meier, Johannes Henricus, *Facultatis juridicae
Decanus (et Disputationem inaug. Innocti Augusti
Appelstättii invitat)*
5. Meier, Johannes Henricus, *Facultatis juridicae
Decanus (et Disputationem inaug. Antonii Brück
mii invitat)*
6. Meier Johannes Henricus, *Facultatis juridicae Decanus
(et Disputationem inaug. Othonis Sigismundi Mauritii
vna sor Veruae)*

7. Meier, Johannes Henricus, Facultatis juridicae
decanus (ad Disputationem inaug. Christiani Gott-
lobii Wobstii invit.) 14
8. Meier, Johannes Henricus; De iudice spoliatore
2 Saupf. 1718 & 1744. 15
9. Meier, Johannes Henricus: De iurejurando litis
decisorio iudiciali 16
10. Meier, Johannes Henricus: De lege commissoria uendi-
tionibus ajecta. 16
11. Meier, Johannes Henricus: De iure aetatis imbecill.
litium circa omnia. 17
12. Pre, Johannes Henricus, de: De fiacta nominum
dubitate neglecta et negligente. 16
13. Reinhardt, Tobias Theobaldus: De pacto, circa haere-
d. talem tertii, ignorantis, ceteri, bonis reoribus

non refragante, utique tam jure natural, quam
moribus Germanorum, valido.

14. Schmeiser, Johannes Paulus: De judiciis ex erro-
re civitatis proferentium aut de ciso procedente

15. Steinhäuser, Johann Gottfried: De iuris ad for-
torem non probantibus.

16. Streit, Johannes Philippus, Facult. juridicae decanus:
b. l. s. (et reputationem inang. Joannis Fridrici
Kontarsii iuristae).

17. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae decanus:
b. l. s. (et reputationem inang. Christiani Gottfriedi
Witischii iuristae)

18. Streit, Joannes Philippus, Facult. jurd. decanus, l. b. s.
(et reputationem inang. Gabrielis Hieronimi Lötli
iuristae)

19. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae decanus:
 b. l. s. (ad Disputationem inang. Joannis Petri Graefii
 involat.
20. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae decanus
 b. l. s. (ad Disputationem inang. Christiani Gottliebii
 Schmidtii involat.
21. Streit, Jo. Philippus : De pacto comitatus
~~inter~~ nobiles aliosque privatos moribus usitato
22. Streit, Joannes Philippus : De testamentis in Diversis judi-
 catis irritatis.
23. Treber, Joannes Philippus : De furtis pumentariis
24. Treber, Joannes Philippus : De venia condemnatae,
 in matrimonium postulatae personae
25. Manstadius von der Vened, Wl. Ligidm : De jure circa
 encarceria temporaria

9436

87018, 16

No: 921, 2

DE
 GENUINA LEGUM CIVILIUM
 INDOLE
 EARUMDEMQUE à
 JURE
 NATURÆ

Ita DIFFERENTIA ac DEPENDENTIA
 CONSENSU ILLUSTRIS JCTORUM
 ORDINIS
 PRO LICENTIA
 CONSEQUENDI IN UTROQUE JURE
 GRADUM DOCTO-
 RALEM

a. d. 26. SEPTEMBR. ANNO MDCCXVIII.
 DISPUTABIT.

M. JO. FRIEDER. Freiesleben/
 ADVOC. LIPS.

ERFFORDIÆ Typis JOA. MICHAEL. FUNCKII.

*Lie Herr Rathlicht
 Linaum.*



DE
GENUINA LEGUM CIVILIUM
INDOLF
L. A. R. U. M. D. N. O. S. S. A.
I. U. R. E
N. A. T. U. R. A. E.


IN UNIVERSITATE WITTENBERGENSI
CONSENSU ILLUSTRISSIMO
ORDINIS
PRO LICENTIA
CONSENSU IN EUROPAE JURIS
GRADUM DOCTORUM
RALEM

17. 28. SEPTEMBER ANNO 1808
M. JO. FRIEDER. SCHNEIDER
ADVOC. JUR.

ERFORDIAE Typo JOH. MICHAEL TURCKER

12.





I.



Omines, sive in statu naturali sive civili vivant, utrinque, si vere felices esse volunt, non secundum vires ac potentias, sed legem, quæ ipsorum ita temporalem atque æternam respicit felicitatem, agere debent. Etenim cum hominis vires ratione potentiæ seu physice limitatas esse in sensus incurrat, miserum sane ad exemplum brutorum, imo multo interdum miserius homo foret animal, si vires moraliter illimitatas haberet, dum propter has alteri licet facere, quicquid potest, propter illas à faciente non se licet sufficienter defendere. Sustulit autem Deus hanc hominis miseriam per indultam rationem, ut pote cujus beneficio nostris viribus in damnum alterius non esse utendum, sed legis directionem nos sequi debere, intelligimus.

§. II.

Dantur autem leges naturales, dantur & civiles, de quarum à se in vicem differentia, ut eo solidius nobis constet, res à primis principiis est repetenda. Certum est, legem esse effectum, unde præsupponit causam, cui competit facultas legislativa. Hæc est ens, quod habet jus dirigendi actiones aliorum etiam in vitorum, seu jus cogendi, ut secundum ipsius voluntatem aliquid faciant, vel non faciant. Jus autem cum in genere, ut & jus Dei complectatur, suam debeat, vel pro viribus seu potentia, vel pro lege, vel pro effectu legis, & quidem grato, ut opponatur obligationi: hic nec legem

△

legem nec effectum legis denotare potest, cum facultas legislatoria, de qua sermo est, ipsa lege fit prior, lexque ex ea, non hæc ex lege dependeat. Jus itaque hic est aliquid lege prius, scilicet idem ac potentia seu vires, & quidem illimitatæ; quippe vis cogens seu Legislator debet habere vires perpetuo majores eo, quem cogit seu cui legem dat: alias enim si vires non essent perpetuo majores, interdum rursus ab hoc vinci vel cogi posset. Unde hæc facultas legislatoria primario de solo Deo, cujus jus in omnipotentia positum est, quique adeo semper refractarios cogere potest, secundario autem de eo, qui vices Dei gerit, & hoc jus à Deo communicatum habet, prædicari potest. Hominum jus omne, non à potentia & viribus, sed lege est, & sic à Deo; unde & facultas legislatoria, si quæ ipsis competit, non prima est, sed communicata à Deo.

Confer omnino DN. RUDJGERI Præceptoris mei longè Honoratissimi Inst. Erudit. L. II. T. II. P. I. C. I. Schol. 2.

§. III.

Facultas legislativa si in actum transit, dicitur lex. Est itaque lex significatio ejus, qui hac facultate gaudet, quid ab altero fieri vel non fieri velit. De quo autem solo prædicatur facultas, de eo quoque solo dici potest actus. Unde omnes leges sunt à Deo, & leges humanæ sunt saltem leges secundariæ, nullaque ante Deum datur lex. Non autem est lex nec obligatio, antequam legislator alteri declaravit suam voluntatem. Quare *omnis & sola declaratio voluntatis divina, quid ab hominibus fieri vel non fieri velit est lex.* Soli enim homini, in quantum id ex ratione cognoscere possumus, Deus dedit legem, & in eo moralis hominum præ brutis excellentia, uti physica in ratione, consistit.

§. IV.

Videtur autem ad huc aliquid definitioni legis divinæ deesse, finis nimirum, ut sit causalis; hætenus enim saltem est logica. Finem equidem dari legis divinæ certum est, cum Deus & natura nihil frustra agant, sed quis sit ille finis, id altius repositum est. Fines enim Dei non, nisi à posteriori, ab effectibus scilicet nobis perscrutari licet;

licet; cetera nos, infirmitatis humanæ conscios, tenent carceres
ratiocinandi. Est effectus legi divinæ proprius, ut homo vere fe-
lix sit, cum absque ea propter potentias seu vires physice limitatas
miser instar brutorum foret; Intendere autem Deum hunc effe-
ctum, seu finem Dei intuitu legis felicitatem hominum esse, ex
amore ipsius erga homines plane singulari, judicatur. Si itaque
Deus vult, ut hominibus bene sit, vel ipsis miraculose benefacere,
vel homo homini prodesse debet: Prius non vult, ergo posterius,
quod absque lege obtineri non posse ex supra dictis evincitur.

§. V.

Hinc patet differentia consilii à lege. *Consilium est significa-
tio vel superioris vel parvis de eo, quid ab alio utiliter fieri possit.*
Unde nihil interest, utrum consilium dans jure cogendi gaudeat an
non, sed id rem conficit, quod ille non ut Legislator intentionem
habeat alterum cogendi, dum libertatem ipsi relinquit, utrum acti-
onem secundum consilium instituire velit, nec ne; unde ex lege ori-
tur obligatio, ex consilio non. Secus si statuamus cum Pufendor-
fio *Jur. Nat. ac Gent. Lib. I. cap. VI. §. 1. verb. : Et à consilio qui-
dem lex differt, quod per illud rationibus ex ipsa re petitis ad suscipi-
endum quid aut omittendum adducere quis conatur illum, in quem
saltem quoad præsens negotium, potestatem non habet : ea adæqua-
te ad omnia consilia adeoque & divina applicari nequeunt, cum
contra res facile expediri possit, asserendo : Deo quidem semper &
ubique jus cogendi competere, sed illum, eo interdum non uti.*
Leges constituunt fines Dei, consilia modos seu media illos assequen-
di, si sint plura, si medium est unicum, æquipollet fini, & sic quoque
pertinet ad legem.

§. VI.

*Fines Dei, quos ex ratione cognoscimus, sunt intuitu homi-
num duo; Cultus Dei, unde salus æterna dependet; & amor homi-
num socialis, unde felicitas eorum temporalis. Inde & duplex lex
divina, alia, quæ tractat officia seu obligationem hominis circa cul-
tum Dei, & altera, quæ dicitur officia seu obligationem erga ali-
os; circa utramque Deus declarat suam voluntatem sola ratione,*
aut

aut accedente promulgatione: Unde lex naturalis & lex positiva; Ut adeo ea lex, quæ sola ratione cognoscitur, naturalis in genere dici possit, sive sit occupata circa officia erga Deum, sive erga alios, uti contra positiva, quæ ex Sacra Scriptura cognoscitur, sive pariter illa, sive hæc consideret. Quo autem minus hæc duplicia officia, quæ sibi invicem opposita, confundantur, priorem, quæ dicitur officia erga Deum, *Legem cultum Dei respicientem seu Ecclesiasticam*, & alteram, quæ præcipit officia erga alios, *Jus Naturæ* in specie dicere licebit.

§. VII.

Jam ad leges humanas. *Hæ sunt applicationes legum divinarum ad statum reipublicæ, seu leges, quibus ab Imperante, in quem summa potestas securitatis atque salutis civilis causa collata est, subditis præcipiuntur modi, quibus leges divine pro diversitate rerumpublicarum, ad veram iis comparandam felicitatem, prudenter in effectum deduci possunt.*

§. VIII.

Accommodat autem Imperans ad suam rempublicam, vel officia erga Deum, dum pro indole illius modos seu media, quibus intentio divina circa cultum Dei obtinetur, determinat ac præcipit; vel officia erga alios. Unde *Jus Ecclesiasticum seu Canonicum & Civile* oritur, hoc iterum in Allodiale & Feudale subdividi solet, de quo jam dicere non attinet.

§. IX.

Jus Civile est *lex humana, quæ ab Imperante subditis modi seu media, pro diverso statu reipublicæ, secundum regulas prudentiæ præcipiuntur, quibus intentiones divine circa officia erga alios jure nature & positivo declarata, adæquate in effectum deducuntur.* Cum autem Jus naturæ cum positivo consideret ita officia necessitatis ac commoditatis, Jus civile, ut sua illi integritas constet, & adæquata applicatio horum jurium ad rempublicam fit, utraqve officia modis ex regulis prudentiæ desuntis, & statui regionis tum physico

ficio tum morali adaptatis, determinare debet. Cumque quævis lex sit declaratio voluntatis Imperantis, quid à subditis fieri vel non fieri velit, voluntas autem, quæ interna, signis externis verbis vel factis, ut exprimat necesse sit, inde dantur leges civiles expressæ, verbis, & tacitæ, seu consuetudines, factis ab Imperante designatæ.

§. X.

Jus civile est lex humana. Homines non primario, sed à Deo communicatam habent facultatem legislativam, idco, ut sint administri voluntatis divinæ, & ejusdem intentiones, quas intuitu actionum humanarum ipse miraculo haud exequitur, executioni dent. Hinc non cuilibet promiscue homini jus dirigendi actiones aliorum concessum est, sed iis tantummodo, qui tum sapientia, ut veras intentiones Dei, ad quas aliorum actiones dirigant, & media, quæ iis obtinendis apta, cognoscant, tum majestate seu viribus cogendi instructi sunt. Soli Sapientes quidem munere docendi & instruendi alios in voluntate Dei, sed non leges ferendi, si potentia ipsis deest, fungi possunt. Sapientia & potentia simul, nec alterutra sola, constituunt imperantem.

§. XI.

Jus cogendi seu majestas imperantium est à pacto; hinc non à natura. Principum vires physice æque ac aliorum limitatæ sunt, nec natura inter eos & subditos formavit discrimen: sed omnis potentia ac excellentia virium, quæ in imperantibus deprehenditur, est adventitia, ipsisque ex pacto à subditis collata. Si autem est ex pacto, dependet a lege, cum omnia pacta valorem suum à lege repetant, & illi fornient, qui legis valorem à pactis derivare cum Hobbesio annuntur. Si est a lege, est à Deo, ut pote qui solus facultate legislativa independenti modo pollet. Proinde imperantibus non competit jus agendi arbitrarie secundum vires, quippe quorum libertas uti physice ita & moraliter, æque ac subditorum legibus divinis limitata est, ut adeo male illud *Hobbesii* ad naturam legis humanæ applicetur: *quod sit mandatum seu præceptum in quo parendi ratio desumitur à voluntate præcipientis, quodque proprie non dicatur, sic volo sic jubeo, nisi stet pro ratione*

voluntas de cive cap. 14. §. 1. Si enim pactum subditorum respicimus, hi in imperantes summam potestatem securitatis atque salutis civilis causa contulere; si intentionem Dei, est, ut principes sint administri voluntatis suæ, ejusque vices gerant; Ergo utroque respectu non pro arbitrio & ex instinctu affectuum, sed secundum hos fines agere fas est.

§. XII.

Omnis voluntas humana accommodari debet ad voluntatem Dei; unde & omnes leges humanas declarantes voluntatem principum intuitu actionum subditorum, legibus divinis subordinatas esse justum est. Etsi autem leges divinæ ad æquate dirigant actiones hominum, sicque omnes fines intuitu earundem, uti nec minus omnia media iisdem consequendis apta, contineant, ut adeo Principibus nihil relictum esse videatur, duplici tamen ex ratione leges humanæ necessariæ deprehenduntur: tum quia non omnes veras intentiones Dei & vera easdem assequendi media cognoscunt, exque his si plura, optimum vel optima eligere sciunt; tum etsi cognoscant, iis tamen ob pravos affectus non satisfaciunt. Hinc officium imperantium erit, ut media, si plura sint, pro indole republicæ determinent, eaque ita ac fines in legibus suis ad sensum, utpote commune principum cognoscendi, expriment, atque leges divinas executioni dent, earundem autoritatem pœnis aliisque mediis conservando.

§. XIII.

Jus Civile præcipit officia erga alios, quid scilicet imperantes velint, ut alteri facere vel non facere debeamus; unde subordinatum debet esse juri naturæ, quo intelligimus, quid Deus de officiis alteri præstandis a nobis exigat. Cum autem jus naturæ ad æquate præcipiat omnia, quæ societati humanæ & necessaria sunt & utilia, prohibeatque contraria, imo & omnia media generalia assequendi secundum intentionem divinam ista bona necessaria & utilia comprehendat, præter quod hæc, si plura sint, non determinet; hinc juri civili nihil superest, quam ut imperantes

rantes illas intentiones divinas, quas jure naturæ ratiocinando assequimur, subditis ad sensum exprimant, & media, quæ pro diversitate societatis humanæ varia, ac jure naturæ indeterminata, ad statum suæ reipublicæ determinent, ut adeo jus civile sit: *Modificatio juris naturæ, seu Jus naturæ applicatum ad rempublicam.*

Vide omnino Celeberrimi Rüdigeri Instit. Erudit. L. II. T. II. P. I. C. 1. Schol. 5. qui, Philosophus ac Medicus, primus juris reconsultis ad inveniendam genuinam indolem juris civilis ejusdemque a jure naturali differentiam viam monstravit.

Videtur Justiniano aliquid hujus rei è longinquo suboluisse Nov. 73. pr. §. 1. Quia igitur imperium propter ea Deus de cælo constituit, ut difficilibus imponat, quæ apud eum sunt bonæ & leges aptet secundum naturæ varietatem.

§. XIV.

Sunt leges civiles media fines legum naturalium in republica exequendi, adeoque saltem secundariæ nec absolute bonæ, sed relative, in quantum cum legibus divinis conveniunt, quia finis mediis per se indifferentibus dat bonitatem vel honestatem; uti leges naturales contra, significantes voluntatem seu fines Dei, sunt primariæ & absolute bonæ. In quantum autem conspirant cum legibus divinis, æque sancte servandæ sunt, ac hæ ipsæ, quia nullus finis absque mediis obtineri potest, & principes determinantes ea suis legibus pro indole reipublicæ, vices Dei gerunt.

§. XV.

Sunt autem Fines juris Naturæ adæqvati & perfecti, quia sunt Dei. Vnde jus civile illis nihil nec addere nec detrahere potest, sed quæritur: quomodo salvari possit honor *Ulpiani l. 6. ff. d. Just. & Jur. asserentis: Jus civile est, quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit; itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium id est civile efficiamus* Respondetur: Si de finibus legum naturalium intelligatur,

ligatur, quod leges civiles iis vel novos addere vel quosdam detrachere possint, falsissimum est, cum utrumque leges naturales imperfectionis argueret, quod vel hactenus in iis aliquid desideratum, vel supervacuum fuerit. Ergo si adhuc quid sani huic legi inest, de modis intelligi debet, ita scilicet, ut jus civile aut addat speciales modos pro indole hujus vel illius reipublicæ determinatos, vel detrahat subditis libertatem agendi secundum plures æque bonos modos jure naturæ iis relictam.

§. XVI.

Hinc nec in eo discrimen quærendum est, ac si jus naturæ saltem dicitur ea, quæ societati humanæ necessaria, & jus civile addat, quæ eidem utilia. Inadæquatum enim juris naturæ principium illud Pufendorfianum esse: *Facea quæ necessario conveniunt cum naturâ hominis sociali, & quæ eandem necessario destruunt, omittit*, laudatus *Dn. Rüdigerus, in Institutionibus suis Eruditionis satis satisque probavit.*

§. XVII.

Non autem variant pro diversitate reipublicæ fines juris naturæ, sed sunt universales, quippe non ad statum reipublicæ, sed rationem omnibus hominibus, sive in hac, sive illa regione viventibus communem, determinati. Quod & Imperator profitetur *§. 13. I. d. J. N. G. & C.* Suntque immutabiles non respectu Dei; ne in errorem Scholasticorum actus in se ac sua natura honestos vel turpes, antecederent ad voluntatem Dei statuentium, incidamus, sed hominum v. g. Principum, cum mutatio legis sit prædicatum soli legislatori non subditis competens. Media autem variant pro varietate objecti, cui applicanda. Unde nec Jus civile datur universale, sed ex effatò Justiniani *§. 1. J. de Just. & jure Jus civile est quod quisque populus (in statu scil. democratico) sibi ipsi constituit.* Sic eg. finis omnium ægrotorum est sanitas, sed media diversimode v. g. medicamenta, diætæ, pro varietate morbi, applicari debent.

§. XVIII.

§. XVIII.

Differt autem Jus naturæ à jure civili ratione obligationis in eo, quod valeat ubique etiam inter homines in statu naturali viuentes, adeoque Principes; Jus civile autem saltem inter subditos. In tantum enim effatum *Ulpiani l. 31. ff. de LL. Principes legibus solutos esse*, verum est, quippe ipsi quidem ad aliquem modum promovendæ utilitatis communis, non tamen præcisè hunc vel illum obligati sunt, sed alium sibi eligere possunt. Unde aberrant ii, qui controversias Juris publici, ex quatuor elementis Institutionum, vel septem planetis Pandectarum, & in genere ex Jure civili, dirimere sibi sumunt. De Jcto non incelebris alias nominis, referunt, quod Principi ipsum consulenti, quomodo satisfactionem ab alio Principe, qui ipsum læserat, consequi posset, responderit, non convenientiorem in toto Corpore Juris, quam Legis Aquiliæ actionem, an directam, an utilem, an plane in factum nescio, deprehendi. Perversus sum, quod Princeps ex hac actione conventus, Consiliarium æque bene actione utili, si quad rupes pauperiem fecisse dicatur, reconvenire potuerit.

§. XIX.

Differt Jus naturæ porro a jure civili ratione cognitionis. Fines juris naturæ & media, quæ ipsis sunt convenientia, ratiocinando demum assequimur, ut adeo cognitio requiratur judiciofa seu erudita. Siquidem judicii opus est, intelligere, quæ ad necessariam vel commodam conservationem socialitatis faciant, hæcque Juris naturalis esse. Sic v. g. judicamus finem conjugii primarium nec esse mutuum adjutorium, quippe quod & ab duabus fœminis duobusve masculis obtineri potest; nec restrictionem libidinis, cum libido à Deo haud dubie data sit, ut restrictione ejus procreetur soboles. Unde & Jus naturæ dicitur Jus sapientum, scilicet ratione cognitionis, ut à solis iis, qui rationem secundum intentionem Dei excoluere, seu sapientibus, solide intelligatur, non obligationis, quippe quos æque ac indoctos obligat.

§. XX.

Nec causa est in leg'satore, quod non omnes Jus naturæ cognoscant. Nam ex intentione Dei omnes homines sapientes essent; Et ratio homini primitus connata nulla cultura ante lapsum indiguit, sed solum naturale lumen ad cognitionem voluntatis Dei sicque etiam Juris naturæ, satis fuit. Per lapsum autem quod depravatum est lumen rationis, adeoque non naturali, sed exulto voluntas Dei intelligi potest, hominibus, non Deo imputandum est.

§. XXI.

Cum tamen omnes Jus naturæ intelligere oporteat, necesse erit, ut vel omnes rationem excolant & sapientes fiant, vel indocti ab eruditis obligationes sibi exponi & secundum eorum doctrinam se regi patiantur. Prius consistit in ideis reipublicæ Platonicae, nec cum successu applicari poterit; Et quid respublica inde sentiret commodi, si semi eruditus coquis, futoribus, sartoribus, pastoribus suum, mulionibus aliisve id farraginis hominibus coruscaret. Periculum sane foret eruditos coquos insulas sæpe apportaturos esse dapes.

§. XXII.

Altero igitur utendum erit medio, ut eruditi indoctis obligationes Juris naturæ ad captum vulgi exponant, hiqve illorum directioni auscultent. Uti autem sola sapientia sufficit, si regendi non sunt refractarii & immorigeri, ita ob pravos affectus vel maxime in indoctos dominium exserentes, ut adsint, qui præter sapientiam polleant potentia refractarios cogendi ad obligationem, necesse erit.

§. XXIII.

Hæc cura esto Imperantium, qui, si subditorum obligationes recte determinare volunt, debent esse sapientes, ut ipsi cognoscant veras intentiones divinas, atqve judicent, quænam media pro statu suæ reipublicæ iis obtinendis apta sint. Solida ergo Juris naturæ & Politices cognitione indigent; illud intentiones divinas circa ea, quæ

quæ subditi tam sibi invicem, quam principi facere vel non facere debent, hæc media eas exequendi habilia docet.

§. XXIV.

Imperantes igitur sint interpretes legum naturalium, harumque intentiones legibus civilibus subditis exponant, ut ab omnibus cognosci queant. Jus civile enim debet esse Jus omnium adeoque & vulgi; alias vitium est legis latoris si indoctis fert leges, non nisi ab eruditis cognoscendas. Nulla enim datur obligatio absque cognitione legis, & Princeps non impedire, sed potius promovere & omni modo faciliorem subditis cognitionem legum reddere tenetur. Quos enim secundum leges vivere vult, eæ, ut & ab ipsis intelligi queant, curare debet. *L. p. C. d. LL.*

§. XXV.

Hinc leges civiles dentur, ut cognitione vulgari percipi possint, nec erudita seu judiciofa opus sit. Est autem cognitio vulgaris seu omnibus communis, quæ fit per sensus & memoriam, quippe qui in indoctis æque vegeti & interdum adhuc vegetiores, quam eruditis, esse possunt; cum sola judicii cultura sit, quæ hos ab illis distingvit. Subditis itaque ad cognitionem legum civilium eas legisse vel audivisse, & lectas auditasve memoriæ mandasse sufficiat, adeo ut nulla plane judicii operatio requiratur, ne, in judicando vel ratiocinando aberrantes, falsum pro vero agnoscant finem. Evitentur ratiocinia & disputationes in legibus, sed simplicibus quantum possibile propositionibus illæ efferantur. Adde illud *Seneca epist. 94.* *Non probo inquit, quod Platonis legibus adjecta principia sunt. Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. Jubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse: Non disco, sed pareo.*

§. XXVI.

Ideo autem fines Juris naturæ, quod in legibus civilibus repetiti ad sensum exprimuntur, non fiunt leges humanæ. Unde, cum multi

multi horum in legibus Romanis deprehendantur, istos ea propter Juris Romani esse, ineptum erit existimare. Adeoque frustra ad eorum probationem leges ex Corpore Juris allegantur. Quamquam tantum nonnullos in federit cacoethes, ut nihil sani dici vel scribi posse existiment, quod non *Papiniani, Ulpiani, Caji, Favoleni*, & in genere *Justiniani* autoritate stipatum sit, provocantes ad illud: *Jure Consultus sine lege loqui erubescat*. Allegationes legum me indistincte improbare tantum adest, ut eas potius summe necessarias habeam, si res sit de probando modo vel determinatione legis civilis. At fines Juris naturæ allegatione legum ex corpore Juris probari, gratis asseritur. Magis mihi placet opinio *Surdi de Alimentis tit. 1. qv. 45. n. 53. Legem quærere, ubi est ratio naturalis, est infirmitas intellectus*. Id tamen concedo, ex regulis prudentiæ interdum genio seculi & præjudiciis virorum magnæ autoritatis, quorum ambimus gratiam, hic aliquid dandum esse. Cæterum abusum hunc allegandi, quod v. g. disputationum aliorumve scriptorum maximam partem sæpe allegata consueciant, inter alia adscribo, tum methodo docendi & addiscendi jura saltem memorialiter, nec judiciose, tum ignorantæ fundamenti probandi per testimonia, quod scilicet hæc in rebus judicii, uti sunt præcepta Juris naturæ, nequiquam valeant.

§. XXVII.

Patet ex hæcenus dictis, Principi, circa fines legum naturalium, nihil præter repetitionem & expressionem ad sensum relictum esse, quodque si plures, omnes sint præcepti, nec ulla electio vel determinatio circa eosdem, legislatori Juris civilis sit integra. Jam & ad media obtinendi illas intentiones Juris naturæ. Media in genere ad consequendum finem sunt necessaria. Unde, qui vult finem, velle etiam debet media. Sed possunt unius finis, vel medium esse unicum, vel plura. Unicum æquipollet fini. Plura sunt vel determinata ab ipso Deo, in Jure positivo universali, absque respectu ad rempublicam Judaicam, vel minus. Si determinata, præcise, nec alia sunt arripienda; si indeterminata, Jus naturæ præcipit ea, quæ fini convenientissima.

Nota: Jus divinum positivum intuitu officiorum aliis exhibendorum,

bendorum, nullos novos fines Dei, nondum in Jure naturæ contentos, sed saltem modos seu media illorum ab ipso Deo determinatos, tradit.

§. XXVIII.

Si autem dantur plura media fini æque convenientia, disjunctive sunt præcepta. Unde citra legem civilem integrum est cui vis, unum ex his, secundum principia liciti, eligere. Sed legislatori civili competit Jus libertatem subditorum circumscribendi. Quamnam autem fini, vel magis, vel minus, vel æque, convenient, ratiocinando assequimur. Hinc illa pariter, quo omnibus, nec eruditus tantum cognita sint, judicio & majestate imperantium ad sensum determinentur & præcipiantur, cum in docti ea judicio discernere nequeant.

§. XXIX.

Proinde imperantes in probabilitate practica morali exercitissimi debent esse, quo de futuro effectu mediorem, utrum intentum sint productura nec ne, judicare valeant. Finem, & vires mediorem intuitu ejusdem profunde sciant. Conqueruntur v.g. subditi de diurnitate litium. Judicari debet, quæ hæctenus causæ protractionis processuum fuerint. Sic deprehendes culpam tum in partes litigantes & Advocatos, tum Judices eorumque Actuarios, Registratores & Copistas, tum Dicafteria, v.g. Scabinatus & Facultates Juridicas, tum ipsas leges recurrere. Ergo intuitu singulorum remedia applicanda veniunt.

§. XXX.

Partibus & Advocatis frivolæ dilationes, leutationes, appellationes præseindantur, cumque in Praxi abusus appellationum plane singularis, quo solo processus sæpe ultra tres quatuor pluresve annos protelantur, observetur, eique & si pœna statuta sit, Advocati tamen renunciatione appellationis, antequam Apostoli ad Judicem superiorem dimittuntur, hanc evitent, remedium foret, ut pœna à frivole appellante, five appellationi renunciaret, five

nōn, exigatur, vel si iniustitia evidens, v. g. in causa cambiāli iudici in feriori jus rejiciendi appellationem, concedatur. Judices & Actuarii, qui sēpe in expediendis citationibus, examinandis testibus, inrotulandis & transmittendis Actis ad Collegium ceterisque morosi admodum sunt, non melioris conditionis quam Advocati peccantes esse debent, sed pariter poena quadam coercentur. Nec Dicasteria Juridica culpa vacua sunt; si acta ultra unum pluresve quadrantes anni detinent. *Qua de re Ord. Gen. ner. Magdeb. de emend. re judic. §. 46.* bene cautum est, quod non liceat Collegiis acta ultra octo septimanas detinere, sub poena quod iudex à quo ea transmissa fuere, intra vicennium collegium morosum consulere prohibeatur. Denique legibus Spatia terminorum nimis prolixa e. g. Spatium Saxonicum in Processu ordinario ad litis contestationem, sex septimanæ singulis positionibus disputationum definitæ aliæque coarctentur.

§. XXXI.

Sic v. g. modus est juris civilis, ut pupillis, minoribus, furiosis, prodigis, tutores curatoresve constituantur, ne ob imbecillitatem ætatis aliamve lædantur. Quo itaque medium hoc adæquatū sit, prospiciendum est, ne his personis ab ipsis tutoribus curatoribusve damnum inferatur. Media sunt, ut vel jurato res pupillorum minorumve bene gerere promittant *Ord. Polit. 1548. Rec. Imp. d. an. 1577. tit. 32. §. 3.* vel satiscent & si immobilia possideant, tacita hypothecca in omnibus eorum bonis pupillis à tempore delatæ tutelæ competat, atque quotannis iudici rationes gestæ administrationis reddant. Posteriora media meliora sunt priori. Juramentum enim saltem est medium tutores honestos obligationis suæ admonendi, & dolum à pupillis arcendi. Quid autem si non sint honesti, quid, si non dolo, sed culpa nocuerint. Adeo est medium insufficientis; Cetera autem sunt media universalialia. Adde quod juramentum tutorum pupillis nihil proffit, si nulla ad sint bona, ex quibus ipsis satis fieri possit.

§. XXXII.

Ita ex fine poenarum, qui est ut autoritas legum eo, quod delinquentes

linquentes variis, obligatione legis adhuc magis ingratis afficiuntur, conferretur, judicari potest de justitia vel prudentia determinationum civilium circa easdem. Injustæ sunt pœnæ, quæ infliguntur crudelitatis aut delectationis ergo, quales sunt damnationes ad bestias vel ludum venatorium Romanis usitatæ a) Fustigatio, relegatio, infamia, abscissio aurium, nasi, lingvæ, aut manus, fini pœnarum non satisfaciunt, sed melius esset, si delinquentes damnarentur ad opera publica b) Ratio autem legis 17. C. d. pœn. quod iis, qui in metallum damnati sunt, pœna damnationis non in facie, sed potius manibus & suris scribatur, quo scilicet, facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis figurata est, minime maculetur, est merus fucus oratorius: Ex eadem ratione & decollationem, quæ major adhuc hominis macula est, prohibitam esse oporteret. Fini, ut pœnis ceteri à delictis terreantur, optime convenit, executionem poenarum in omnium conspectu fieri, ac cadavera, maxime prope vias regias, patibulo affixa vel rotæ imposita, communi spectaculo relinqui.

a) l. 8. §. 11. l. 12. § l. 31. ff. de pœn.

b) Nov. 134. cap. ultim.

§. XXXIII.

Evenit autem, quod modi legum civilium, quia ad sensum determinantur, sæpe sunt universaliores sine juris naturæ: seu jus civile propter claritatem & affectus hominum, multa universaliter determinat quæ jus naturæ limitate præcipit. Limitationes dependent à judicio & hinc legibus civilibus inferi nequeunt. (c) Ne tamen abeant sua generalitate à jure naturæ, limitationes æquitati judicis sunt committendæ (d) Vnde & judices oportet esse vere sapientes, nec leges civiles memorialiter cognovisse ipsis sufficit.

c) Agnovere hoc ipsa leges Romanæ. l. 3. 4. 5. 6. 10. ff. d. LL.

d) Confer omnino l. 11. 12. 13. d. LL. l. 2. §. 5. d. aqv. & aqv. pluvi. ar. l. 8. C. de Judic. l. 38. ff. d. R. V.

§. XXXIV.

Utinam itaque judices exacte calleant & applicent jus naturæ, ne generalitate legum civilium in republica, contra intentionem Dei,

Dei, peccetur. E. g. jus civile permittit rigorem cambialem contra quoscunque, qui literas cambiales dederunt; æquitas autem naturalis svadet, ne contra infelices & pauperes eo utamur. Jus civile generaliter prohibet vindictam privatam; finis est, ne incommoda inde reipublicæ attrahantur. Ergo jus naturæ addit limitationem: quoties privata vindicta est innoxia reipublicæ, vel ea melius adhuc quam judicis autoritate, jure nostro potimur, toties est permiffa. Sed hæc limitatio, qua, vel ob ignorantiam, vel affectus, homines facile abuterentur, legi neutiq̄am inferenda, sed judicis sapientiæ & æquitati relinquenda venit.

§. XXXV.

Ita jus naturæ illis administrationem bonorum concedit, qui ne lædantur sibi ipsis prospicere possunt. Cumque pro diversitate bonitatis naturalis Judicii, modo hic citius, modo alter ferius sapiat, Jus naturæ nihil in genere ratione minorennitatis determinat, sed cujusvis habilitatem considerat. Jure civili contra res generaliter determinatur, ut jure Romano anno 25. & Saxonico 21. completis majorennis fiant. Limitationem autem Juris naturalis addat Juedex. Inde est, quod impetrata venia ætatis quidam ante hunc terminum à Principe majorennis declarentur.

- c) *De tota natione autem, quod alia citius, alia ferius sapiat, aliquid asseri posse, nullus credo. Hinc nec Carpzovio asferentior, qui Saxones citius reliquis sapere credit, in eoque fundamentum brevioris minorennitatis ponit; nec alius, qui Svervicam nationem quod ferius sapiat calumniantur. Si autem aliquid veri subesset, fundamentum ab educandi ratione, non natione, repetendum erit, qua emendata cessabit. De cetero notum est proverbium: Sero sapiunt Phryges.*

§. XXXVI.

Modi autem legibus civilibus pro diverso statu reipublicæ diverse, secundum regulas prudentiæ determinantur. Unde necessaria est accurata cognitio tum phycici, tum politici status illius regionis, cui leges dandæ. Hinc ratio habenda est climatis & situs regio-

regionis ut & genii & morum populi. E. g. Leges Romanae determinantes pubertatem & habilitatem ad matrimonium incedendum, intuitu masculorum 14. & foeminarum 12. anno, ad calidum Italiae solum respexere, ideoque frigidiori nostrae Germaniae minus conveniunt. Ita Alexander M. prudenter leges genio Persarum accommodabat, & ratio prohibiti pacti de viventis hereditate, item occultationis substitutionum, (f) magis insidioso & truculento Italorum genio, quam Germanorum candori & ingenuitati, respondet.

f) l. 30. ff. d. pact. §. 4. f. de subst. pupill.

§. XXXVII.

Si propter situm aliasve circumstantias regio vel civitas mercaturae apta est, leges in favorem ejusdem dirigantur. Sic Lipsiae separatum Judicium Mercatorium ac peculiaris in eo ordo procedendi (*Handels-Gerichts-Ordnung*) habetur, quo res mercaturam spectantes multo celerius quam ceterae expediuntur. Leges Statutariae Hamburgenses prudenter in plurimis mercaturae accommodantur. E. g. Uxores tenentur debita mariti constante matrimonio contracta exsolvere, nec illis facultas illata repetendi (uti Lipsiae casus frequenter contingunt) competit; quo id efficitur, quod maritis mercantibus major fides (Credit.) habeatur. Item mariti secundum easdem leges ex bonis uxorum majorem hereditatis portionem, quam uxores ex illorum opibus consequuntur: Item prohibitum est iisdem testari de bonis hereditariis absque consensu proxime ab intestato succedentium.

§. XXXVIII.

Et in eo leges ad statum regionis aptentur, ut commercium illarum rerum, quae eadem gignit vel profert v. g. in Saxonia Porcellan/ Marmel/ blaue Farbe/ promoveatur. Hinc ad compefcendam illorum vanitatem, qui volunt, ut totus habitus ac ornatus corporis aliaeve res, Galliam, Italiam, Hollandiam, Angliam, oleant, vel res exteræ majori vestigali v. g. Accise onerari, vel eandem plane subditis interdici possunt, hisque vestimenta aliumve

C

habitum

habitu & ornatu corporis vel utensilia in provincia confecta gestare vel comparare injungi potest. Uti id legibus Brandenburgicis intuitu panni provincialis. (Des Land-Tuches) cavetur.

§. XXXIX.

Respiciatur quoque in dandis legibus secund. §. 36. ad statum politicum reipublicæ seu formam regiminis, an sit regimen democraticum, an monarchicum, an aristocraticum, an denique mixtum. Modi reipublicæ democraticæ in multis discrepant à modis Monarchiæ. Unde plurimas leges Romanorum in statu democratico latas ad statum Germaniæ haud quadrare deprehendimus. Et miror Justinianum eas, ne quidem suis temporibus amplius convenientes, Corpori Juris inferi passum esse. E. g. Ratio numeri testium septenarii in consiciendo testamento, quodque nullæ inter eosdem admittantur fœminæ, ex antiquo Romanæ democratiæ habitu, vi cujus testamenta in comitiis condebantur, repetitur. Sic definitio legis §. 7. J. d. J. N. G. & C. *Lex est, quam populus Romanus Senatorio magistratu interrogante, veluti consule constituit, & plebisciti §. 8. eod. It. l. 32. ff. d. LL. Quod tacita voluntate populi consuetudo introducatur*, statui monarchico nequaquam conveniunt. Sic porro divisiones actionum in populares, bonæ fidei & stricti Juris, civiles & prætorias, arbitrarias & non arbitrarias, pœnales dupli, tripli & quadrupli, directas utiles & in factum, formulis & ordini antiqui Processus Romani innixæ apud nos nullius sunt usus. Tricas actionum directarum utilium & in factum ipse Justinianus improbat l. 47. ff. d. Negot. Gest. & tamen eæ nihilominus in Theoria inculcantur. Merito itaque qualibet respublica propriis suis regatur legibus, nec laudanda est nostra Germania, quod recipiendo leges Romanas, vitium Romanorum, recipientium leges peregrinas, Græcas scil. imitata fuerit. Quid nobis negotii cum *Colonis Palestinis, Colonis Thracensibus, Comitè Isauriæ, Paphlagoniæ, Professoribus, qui in urbe Constantinopolitana docent, Curialibus urbis Romæ, suariis & susceptoribus vini, & ceteris corporatis, metropoli Beryto*, aliisque, de quibus leges in Codice latas deprehendimus.

§. XL.

Addo: leges quoque quod promulgationem attinet, cui libet provincie accommodandas & quo ad omnium notitiam perveni-
ant, in patria lingua publicandas esse. Unde parum conveniens
est, Germanos rusticos Romanis seu latinis legibus regi. Scilicet
Jus civile secundum §. 24. esto Jus omnium, non doctorum, non
eorum, qui linguam callent latinam. Prudentiores in eo erant
Germani, qui Græcorum leges recipientes, eas in patriam linguam
verti curabant. Termini Juris Romani, *de quarta Falcidia, Tre-
bellianica, Fidei commissis, Codicillis, unciis*, (v. g. *quincunce sep-
tunce*) *Sæto Vellejano, Macedoniano, Pegafiano, Tertulliano, Or-
phitano, Interdicto Salviano*, aliique leges saltem obscuriores red-
dentes, jure meritoque eliminari, & absque hoc apparatu techni-
co, perspicuis potius verbis res ad cujusvis sensum determinari pos-
sent.

§. XLI.

Imo utile foret, si Princeps publica doctrina subditos in cog-
nitione legum instruere curaret. Uti enim dantur sacerdotes pietatis,
seu qui pietatem vel officia erga Deum vulgo explicant, ita & sacer-
dotes sunt justitiæ, qui officia erga alios ipsis exponant. Pietas
& Justitia utraqve est voluntas Dei, ergo in una aequæ ac altera vul-
gus erudiatur. Medium autem, ut indocti Jctos & Advocatos
consultant, partim ob suntus, partim ob alias causas, inadæquatum
est.

§. XLII.

Caveat autem Princeps, ne multitudo legum subditos oneret.
Leges Romanæ Ante-Justinianæ modo paucitate, conditis LL. XII.
Tabb. modo postea multitudine laborarunt; cum leges & deci-
siones prudentum in illam molem creverint, ut vix decem & vi-
ginti annis à Studiosis Juris perlegi, nedum addisci, potuerint. Qua
de re Justinianus conqueritur §. 3. *proem. Inst. verb. tunc nostram
extendimus curam ad immensa veteris prudentia volumina, & opus
desperatum.* Nec tamen ipse rem ex asse emendavit, & si quid
emendavit, id sua non nostra tempora attinet. Nos premitad-
huc

huc magna moles Corporis Juris Romani, ut jovem lapidem jurarem, id ad vigesimam minimum partem reduci posse, ut tamen nihilominus multa inutilia restarent. Cuivis enim id cum judicio perlustranti occurret, plurimas quin imo fere omnes leges Corporis Juris Romani saltem exempla seu casus controversos earundemque decisiones esse, quid nimirum Jctus vel Imperator de re dubia responderit vel deciderit. Leges autem cum sint regulæ seu axiomata vel propositiones generales, non ipsa exempla leges constituunt, sed ab his demum conceptus essentielles abstrahi, exque iis regulæ vel leges confici debent.

§. XLIII.

Caveat porro ne leges sibi invicem contradicant, quod pariter frequens legum Romanarum vitium esse, tum à priori, tum posteriori facile demonstratu erit. Prius comprobatur modus compilandi. Cum enim confarcinatio Pandectarum inter plures distributa, ex diversis Jctorum antiquorum, sectis a se invicem distantium, libris, facta fuerit, non nisi sæpior dissonantia seu antinomia legum loco promissæ à Justiniano consonantiæ, §. 3. *J. proem.* progigni exinde potuit. Posterius tot exempla, effectus hujus causæ, testantur. *e. g. l. 3. 4. pr. §. l. 5. ff. d. Oper. Servor. §. cum ex aliena materia J. de R. D. §. l. 7. §. 7. ff. d. A. R. D.*

XLIV.

Ex hæcenus dictis patebit, in quantum Princeps modos legum civilium, abrogare, mutare, vel circa eosdem dispensare possit. Modi ante imperantis voluntatem sunt indifferentes; ergo ab eo rursus, semper tamen cum respectu ad utilitatem reipublicæ variari possunt. Est *abrogatio*, quando mutato ex toto statu reipublicæ, cui lex accommodata fuit, valor totius legis tollitur. v. g. Lex lata fuit de non exportando frumento ad externos, ob sterilitatem unius vel plurium in provincia annorum; jam abundantia cum ad sit frumenti ex ubertate agrorum, lex tollitur. Item: Commercio cum quadam civitate, peste infecta, prohibitum fuit, cessante lue pestilentiali lex abrogatur, & liber rursus conceditur

ditur commeatus. *Mutatio est, quando mutato ex parte statu rei-publicæ pro ea parte quoque valor legis tollitur, quod in Saxoniæ circa mandatum duelli contingit. Dispensatio est, quando valor legis manet & quis modo ab universalitate pœne legis civilis secundum æquitatem liberatur.* Exinde quando lex abrogari, mutari, vel circa eandem dispensari possit, quilibet ipse judicare poterit.

§. XLV.

Constat sic quoque genuina Juris Civilis à Jure Canonico, differentia. Scilicet quæcunque concernunt Officia Deo immediate præstanda seu cultum Dei, ad Jus Ecclesiasticum, & quæ officia erga alios, ad Jus civile pertinent. Hinc perperam doctrinæ de sponsalibus, matrimonii, juramentis, sepulturis, ordine processus, aliæque ad Jus Canonicum referuntur. Confusio inde mihi dependere videtur. Jus Canonicum debemus Clero Papali, qui pro exemplanda sua jurisdictione omni modo dum laboravit, modo sub hac, modo sub illa specie, quæcunque potuit ad suum forum traxit. Sponsalia qui celebrarunt jam conjuges coram Deo esse, hincque ea invito Clero, mutuo licet dissensu, dissolvere neutiquam posse, contra naturam ac indolem pactorum, dicunt. Matrimonia sunt ex eorum sententia Sacramenta, sicque sui fori. Juramenta ipsi sunt res conscientia, quibus Deo aliquid promittitur, indeque simpliciter, sive juste præstita sive injuste, modo salva salute æterna & absque præjudicio tertii servari possunt, servanda sunt, nisi Clerus absolutionem ad cautelam indulserit. Coemiteria eoque pertinentia cum sint res religiosa, quæ ex ethnica ratione Diis inferis, consecrantur, ex papali asperione aquæ lustralis benedicuntur, ad Jus Canonicum referuntur. Certe cuique, libros Decreti Decretalium & Extravagantium saltem ad rubricas perlustranti, patebit, capita juris civilis & Canonici, plane planeque inter se commixta esse.

§. XLVI.

Eadem pariter confusione in Corpore Juris civilis proceditur, ubi, maxime in Codice & Novellis, multa Jus Canonicum spectantia, deprehendes. *g. de Summa Trinitate & fide Catholica, &*

ut nemo

ut nemo de ea publice contendere audeat : (a) de Sacrosanctis Ecclesiis & de rebus ac privilegiis earum : b) De Episcopis & Clericis : c) de Episcopali audientia & diversis capitulis, que ad jus curamque & reverentiam pertinent provincialem ; d) de Hæreticis & Manichæis & Samaritanis : e) Ne Sanctum Baptisma iteretur : f) de Paganis & Sacrificiis & templis : g) Vt determinatus sit numerus Clericorum sanctissime majoris ecclesie & ceterarum ecclesiarum Constantinopolitanarum : h) de Monachis : i) quomodo oporteat Episcopos & reliquos clericos ad ordinationem adduci, it : de expensis ecclesiarum : k) de Privilegiis Archi-Episcopi : l) de sanctissimis Episcopis & Deo amabilibus & reverendissimis Clericis & monachis : m)

a) Tit. 1. L. 1. Cod. b) Tit. 2. cod. c) Tit. 3. d) Tit. 4. e) Tit. 5. f) Tit. 6. g) Tit. 11. cod. h) Nov. 3. i) Nov. 5. k) Nov. 6. l) Nov. 11. m) Nov. 123.

§. XLVII.

Leges civiles cum itaque dependere à jure naturæ satis, ut patto, evictum fuerit, nec Juris prudentiam civilem absque fundamentis jurisprudentiæ naturalis solide excoli posse, sequitur. Ideo commiseratione partim, partim quoque indignatione, nullatenus refutatione digni sunt ii, qui jus naturæ tantum non noxium vel minimum haud necessarium Juris Studiose esse asseverant. Nulla certe commodiori methodo jura civilia proponi possunt, quam si doctrinæ secundum Capita Juris Naturæ in ordinem rediguntur, ne confusum Chaos Corporis Juris Romani sequi necesse habeamus. Sed de vitiis methodi Corporis Juris Romani, deque specimine novæ methodi, secundum quam jura Civilia honoratissimis meis DNN. Auditoribus in Academia Lipsiensi prælego, dicere jam non vacat, id peculiari dissertationi reservaturus.



ERTMAY, Diss., 1718

ULB Halle 3
004 324 196




A

v. 1718

Sl.





9836

87018, 16

No: 921, 2

DE

GENUINA LEGUM CIVILIUM
 INDOLE
 EARUM DEMQVE à
 JURE
 NATURÆ

Ita DIFFERENTIA ac DEPENDENTIA
 CONSENSU ILLUSTRIS JCTORUM
 ORDINIS
 PRO LICENTIA

CONSEQVENDI IN UTROQVE JURE
 GRADUM DOCTO-
 RALEM

a. d. 26. SEPTEMBR. ANNO MDCCXVIII.
 DISPUTABIT.

M. JO. FRIEDER. *Freiesleben/*
 ADVOC. LIPS.

ERFFORDIÆ Typis JOA. MICHAEL. FUNCKII.

*L. v. Lem. Ditzsch
 Librum.*

